



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1651.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Austriaca his nuptiis firmari videretur, & adversus potentissimos adversarios communiri.

Mense Octobri coronata est Christina Regina Sueciæ, magnificentissimè explicatis Germaniæ spoliis; huic destinabatur sponsus Carolus Gustavus Palatinus; sed quia hæc cælebs vivere decreverat, idem destinatus ei successor.

*ANNO 1651.*

**C**arolus II. Rex à Scotis coronatus cum numeroso exercitu contendit in Angliam adversus Cromvelium; sed ab hoc victus profligatusque cum universa pene nobilitate Scotiæ, fugit mutato habitu Vigornum, & inde in Galliam.

In Anglia multi Catholici in odium fidei Orthodoxæ occisi, quos inter eminuit Episcopus Ronensis, qui etiam exsectâ lingua perrexit prædicare veritatem Catholicam; quo miraculo insanentes hæretici cor Mar tyri a pectore abstraxere, quod ad semihorâ quasi nova lingua palpitavit.

In Gallia captivi Princes opera Parlamenti dimissi custodiâ redeunt Parisios, ibique magno plausu excipiuntur. Mazza rinus vero jussu Reginæ vi & armis adversario-

sriorum expresso excedit regno, & per Sedanum fugit Coloniam ad Electorem. Fugam secuta proscriptio ejusdem solennis à Parlamento, promissis 60 aureorum milibus sicario, qui Cardinalem occiderit. Susceptâ tamen paulò post administratione regni à Ludovico XIV. anno ætatis 14. Mazarinus, ita volente Rege, redit ad Franciæ confinia armatus, Condæus contra cum fratre Contio & Marsinio Prorege Cataloniæ deficit ad Hispanos, quanto horum honore & commodo, tanto nominis Gallici dedecore & danno.

Veneti prosperè contrà Turcas bellum sustinent.

Rex Casimirus Polonus die 30 Junio potitur insigni victoriâ & prædâ de Cosakis & Tartaris cæsis Barbarorum plus 10000, de suis desideratis vix 2200.

Moritur hoc anno Maximilianus Elector Bavariæ, anno ætatis 78. Princeps ex aequo religiosus, prudens, & in paucis ad fidei Catholicæ & Imperii incrementum semper animatus.

### ANNUUS 1652.

**H**Oc anno Romam venit legatio ex Siniis, quam obiit P. Martinus Martini-

E 5

us ex